

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. III. Vulpes et Iupiter.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

FAB. III.

Vulpes et Iupiter.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit,
Humanam in speciem quum vertisset Iupiter
Vulpem, regali pellex ut sedet throno,
Scarabeum vedit prorepentem ex angulo;
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu,
Superi risere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit;
His prosequutus: Viue, quo digna es modo,
Quac nostris vti meritis digne non potes.

FAB. IV.

Leo et Mus.

Ne quis minores laedat, fabula haec monet,
Leone in silua dormiente, rustici
Luxuriabant mures, et unus ex iis
Super cubantem casu quodam transit.
Expergesfactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,
Crimen fatetur, peccatum imprudentiae,
Hoc rex vlcisci gloriosum non putans,
Ignouit et dimisit. Post paucos dies
Leo dum vagatur noctu, in foueam decidit.
Captum ut se agnouit laqueis, voce maxima
Rugire coepit; cuius immanem ad sonum
Mus subito accurrens. Non est quod timcas, ait;
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum et ligamina
Lustrare coepit, cognitosque dentibus
Neruos rodendo laxat ingenia artuum,
Sic captum mus leonem siluis reddidit.

